



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Henrici || Svsonis Viri Sanctita-||te, Ervditione Et  
Mi-||racvlis Clari, Opera**

**Seuse, Heinrich**

**Coloniae, 1615**

Vt ineuntis Maij diem primum exceperit. Capvt XIV.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38029**

gnius spectat & amat. Quamobrem ingenti il-  
lum fac amore prosequaris: adeoq; certum ha-  
beas etiam pro multis alijs duriora te deinceps  
perpeti oportere: simulq; præpares te. At ille  
Faciam id libentissime: precorque vt mihi il-  
lius visendi copiam obtineas, quò gratias illi  
agam pro ipsius præclaro munere. Perge, in-  
quit adolescens, ad fenestram & prospice. Appo-  
ruit ille fenestram, & ecce vidit illic puerum  
scholasticum tantæ venustatis, vt non sic illi  
vnquam quisquam visus similis: cumque vel-  
let per fenestram ad illum egredi, blandè illi  
inclinans suauiter illi benedixit, & euestigio  
ab eius euanuit oculis. Sicque visio illa finita  
est. Redditus sibi ipsi, gratias egit Deo pro eius-  
modi diuinis Bacchanalibus ipsi præstitis.

*Vt ineuntis Maij diem primum exceperit.*

CAPVT XIV.

**N**Oste illius diei, quæ mensis Maij caput  
est ac initium, pro more suo spiritaliter  
quendam, eumque visentem ramum sibi  
reponens, aliquam multo tempore singulis  
diebus eum venerabatur. Inter omnes autem  
quæ vnquam creuerint, quantumuis amœnitas  
frondes, non potuit vllam inuenire vernantio-  
rem præclaro sanctæ crucis stipite, qui gratia  
& virtutibus atque omnigeno decore illustri-  
or est, atque vernantior, quàm vllæ vnquam  
arborum frondes. Sub hac igitur arbore sex, vt  
dici solet, capiebat venias, ad singulas qualquam  
in sua meditatione singulatim desiderans or-  
nat

nare mysticam hanc frondem, idque rebus elegantissimis, quæ vernans posset proferre æstas. Dicebatq; & canebat intra sese hymnum, Salve crux sancta, &c. addens etiam hæc: Saluæ cælestis arbor salutis perpetuæ, in qua crevit fructus æternæ Sapientiæ. Primo quidem in tui perennem ornatum pro cunctis rubentibus rosis offero tibi amorem intimum. Secundò, pro cunctis humi repentibus violis humilem subiectionem. Tertio, pro cunctis suaveolentibus lilijis purissimum complexum. Quarto, pro omnigenis grati coloris ac virentibus flosculis, quos vlla vspiam sylua, pratum, saltus, arbor, nemus, campus hoc amœno vere protulerit, vel vnquam extiterint vel existent, spiritale cordis osculum. Quinto, pro cunctarum in aère hilariter volitantium auium cantu, quem illæ vnquam in quibusuis arborum ramusculis deprompserint, animæ laudes inexhaustas. Sextò, pro cuiusuis generis ornatu, quo vllus vnquam verni temporis ramus virens prædicus fuit, cor meum hodie spiritali te cantico extollit, obsecrans, vt tu arbor benedicta mihi auxilio sis, quò in hac vita momentanea ita te laudare merear, vt te ipso fructu vitali perenniter frui dignus sim. Hoc pacto Maij initia celebrabat.

*De miseranda crucis deportatione, quam ad Christi crucifigendi similitudinem imitari solebat.*

## CAPVT XV.

**D**Eus omnipotens initio cælestibus consolationibus multo eum tempore recreauit,  
Hh 5 quibus